



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

**LVIII. Ioannes II.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

## IOANNES II.

A.D.XXII.

**I**OANNES, natione Romanus, ex patre Proiecto, sedit annos 2. menses 4. dies 6. Fuit autem Athalarici Regis, & Iustiniani Augusti temporibus. Ordinavit autem Episcopos 21. presbyteros 15. Obiit autem 6. Calend. Junii. Hic Valerio Episcopo epistolam misit, in qua ostendit, & ratione, & auctoritate multorum probauit, filium minorem quidem esse patre in assumpti hominis forma, æqualem verò Patri esse in deitatis naturæ substantia, & hoc fecit ideo, quia quidam erant apud eum, qui negabant filium Patri esse æqualem.

## LIX.

## S. AGAPETVS.

A.D.XXV.

**A**GAPITVS, natione Romanus, ex patre Gordiano presbitero, sedit annos 11. dies 19. Hic ordinavit Episcop. 11. diac. 4. Hic libellum anathematis in Dioscorum, cui Bonifacius inuidiæ stimulo ductus presbyteros, & etiam Episcopos subscribi compulerat, incendio dedit. Iustinianus autem Theodato regi fuerat indignatus, eo quod ipse reginam Amalasintam Theodorici regis filiam sibi commendatam, occiderat. Vnde rex predictus timens indignationem Augusti predictum Papam Constantinopolim ad Imperatorem direxit. Qui à Iustiniano Augusto honorifice suscepit post lögam altercationē Anthimum eiusdem ciuitatis Episcopum in Christo duas naturas negantem, conuicit, & à communione Christianorum suspedit, & isto in exilium deportato alium Episcopū, nomine Mennam, virum Catholicum in eius loco consecravit. Post verò ægritudine captus ibidem idem Constantinopoli 10. Kalend. Maii est defunctus. Idem Papa, antequam veniret in Græciam Anthimo epistolam misit, in qua ipsum ab errore suo ad veritatem Catholicæ fidei redire hortando prudenter commonuit.

## LX.

## S. SILVERIVS.

A.D.XXVI.

**S**ILVERIVS, natione Campanus, ex patre Ormisda Romæ Episcopo, sedit annum 1. menses 5. dies 40. Hic ordinavit Episco. 18. presbyteros 14. Hic sine deliberatione decreti à Theodato tyranno constitutus est. Qui corruptus pecunia, talem clero indixit

L

timō-